

nis et laudibus extulerunt, ut testatur S. Damasc. orat. II. de dormit. Virg.

Quarto, sanctorum aliorum qui eam miris laudibus efferre solent super omnes creaturas. Tales Chrys. Epiph. August. Ambros. Hieron. Bern. Anselm. etc. Alii sancti peculiari eam devotione coluerunt; primo, reges et principes: S. Stephan. Hungariae rex ei regnum suum per votum obtulit, ex quo Hungari eam in patronam sibi delegerunt, et festum assumptionis ejus, Dominae festum appellarunt, Bonfin; de rebus Hungar. lib. I. Constantinus imp. quae suam Constantinopolim ei dedicavit: Ludovicus Pius imp. qui ne venatum quidem proficisceretur, nisi Deiparae imaginem secum ferret, ut coram illa in media solitudine suas fundere preces posset: S. Henricus imp. qui ingrediens in urbem, primam noctem in basilica S. Mariae Majoris semper exubare solebat: Joan. Comnenus imp. Narses dux, etc. episcopi, S. Edmundus Cantuariensis. episc. qui eam sibi in sponsam elegit adolescens, annulo manus ejus infixio in quo scripta erat salutatio angelica: S. Nicolaus, S. Martinus, S. Gerardus, S. Carolus Borromaeus: et religiosi, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Bern. ordo Carthusianorum, S. Ignatius, S. Philippus Nereus et alii.

V. Infidelium etiam et haereticorum. Dic age Luthere, quid de Beatissima Virgine Maria sentis? Sic enim in commentario super Magn. scriptum reliquisti: «Eo ipso, quod Maria Mater Dei facta est, tam ingentia ei dona data sunt, ut superet captum ejusque.» Hinc omnis beatitudo et honos provenit, ut in universo genere humano unica persona sit super cunctis, cui nemo sit par, quod cum Patre caelesti Filium habet communem.» Ita Proteus ille Luth. Audiamus etiam Oecolampadium de eadem Virg. Dei Matre apertius loquentem: «Nunquam de me audiatur quasi averser Mariam, erga quam minus bene affici reprobatae mentis certum existimo indicium esse. Nollem e cultu Mariae aliquid diminui. Sicut homini communicantur omnium creaturarum dignitates: ita ista omnium humanarum excellentiarum particeps fuit.» Ita Oecolampad. serm. de laudibus B. Virg. Quid Bulingerus non ex infima haereticorum classe: *Omnia, inquit, in Maria sunt excellentissima, nihil ibi vile, nihil vulgare, sed omnia plena miraculis a manu divina profectis*, Buling. serm. de B. Virg. Bucerus quantumvis praefracti et arrogantis ingenii haereticus, in illa tamen verba de Beatissima Virg. plena pietatis erumpit, scribens in Matth. *Pius animus, inquit, de Maria non nisi sanctissima cogitabit et Matre Dei digna, etc.* Turcius denique Mahometes licet atheus, veritate tamen compulsus haec de reginae caelorum

excellencia protulit: «O maria omnibus viris et mulieribus splendidior et mundior atque laetior, soli Deo perseveranter studens. Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat Satan praeter Mariam et ejus Filium. Felices igitur tanta matris filios, quibus humani generis hostis nullum adferre potest nocumentum,» Mahom. Azorara, I. et LXXV. Ita nimirum voluit Deus ut ore proprio jugularent se haeretici, et inviti praedicarent laudes Mariae, adeoque stabiliretur ejus propheta, Luc. I. *Beatam me dicent omnes generationes.*

VI. Creaturarum insensibilium. Nam cum B. Virginis aedacula e Dalmatia in locum ubi nunc est, Lauretum transferretur ab angelis, arbores silvae proximae versus eam se inclinarunt, quasi reverentiam exhibentes domui, in qua Deus omnium rerum factor conceptus est: et manserunt eo modo incurvatae arbores, usque dum progressu temporis caederentur, Tursellin. hist. Lauret. hb. I.

Ad haec scribit Pelbartus, in suo stellario, l. I. p. IV. art. II. c. III. miraculum tale. «In provincia Hungariae nostris temporibus (sicut ipse accepit, inquit, a quodam venerabili et sene patre fide dignissimo) quidam frater ordinum Minorum duxerat in consuetudinem, ut quandocumque signum fieret sero et mane ad Ave Maria, sicut moris est in illa provincia, flexis genibus salutarer B. Virginem ter dicendo: Ave Maria cum tribus genuflexionibus. Cumque quadam die signum daretur in aurora ad Ave Maria, ipse torpore quodam et ignavia ductus, noluit assurgere ad salutandum B. Virginem cum genuflexionibus. Ecce igitur miraculum grande! Vidit statim in visione mirabili turrim Ecclesiae se inclinare adeo, ut crux in summitate turris existens terram contingeret se inclinando, et hoc tribus vicibus ad trinam signationem, quasi per hoc sit dictum. Ecce miser, creatura insensibilis sua quasi per hoc sit dictum: Ecce miser, creatura insensibilis sua quasi genua flectit, cum se inclinaret ad terram pro signo Ave Mariae, tu autem cum sis rationalis, non vis genua flectere ad Ave Maria. Sicque ille compunctus et miram Dei manum circa se sentiens, semper quoad vixit, cum reverentia ter genuflectendo ad signationem benedictam Virginem cum Ave Maria salutavit, etc.» Sic ille.

Supra jam audivimus, quid contra honorem Deiparae tam inepte quam impie latrarit Graecus ille et suo nomine spurcus canis, imperator iconomachus Constantinus Copronymus. Dicebat enim ille, fuisse quidem honore dignam Mariam, quamdiu in utero gestabat Christum: eum vero ubi enixa est, nihil aliis feminis praestitisse, que-

madmodum loculi auro pleni tamdiu in pretio habentur, quamdiu aurum continent, auro expenso nihili fiunt. Sed advertere debebat impius et sceleratus homo, primo, Virginem hanc praedicari ab angelo gratia plenam et benedictionem in mulieribus, antequam concepit Christum: deinde, longe disparem esse rationem auri; quod a loculis nihil accipit, unde et nihil eis tribuit. Quod si loculi parent aurum, procul dubio praestantiores forent aliis conditoriis. At Beata Virgo Christum ex se genuit et vere ejus Mater est. Et quomodo a tanto hospite, cui vitam simul et hospitium dedit, non dignum hospitii pretium sortita est? Pecunia inficit oculos: Christus ipsa sanctitas sanctificavit Matrem. Sed sufficere nobis potest, quod blasphemus ille meritas tandem dederit impietatis suae poenas; siquidem moriens exclamavit: *Vivens adhuc igni sum inestinguibili traditus*, propter Deiparam scilicet cujus hostis fuerat, Baron. anno 775. quin et post mortem effossus publice in foro crematus est. Hoc fine periit canis iste, qui lunam illam, Deiparam latratu suo appetiit, ut in eo impleretur id Psalm. LVIII. *Convertentur ad vesperam et famem patientur ut canes.*

Nos ergo, auditores, fugiamus canes istos, et imitemur potius cynocephalos, qui venerabundis manibus ad lunarem circulum elatis supplici gestu adorant lunam, a qua vires suas capiunt. Suspiciamus, veneremur et amemus praclarissimum hoc sidus, cui post Christum debemus omnem nostram felicitatem, etc.

CONCIO VII.

RATIO COLENDI VIRGINEM MARIAM.

I. Offerre se suaque Deiparae. — II. Non facere contra ipsius honorem aut fieri aut pati. — III. Facile dare petentibus in nomine ipsius. — IV. Congratulari ejus gloria et compati doloribus. — V. Virtutes Deiparae imitari. — VI. Sponsum ejus S. Josephum colere. — VII. Assidue eam salutare. — VIII. Diem sabbati et festa ejus peculiari pietate transigere.

THEMA.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie. Prov. VIII.

Genesis XXVII. legimus, quomodo gemini illi fratres Jacob et Esau certarint pro benedictione parentis brevi morituri. Iste in silvam abiit, ferinam allaturus patri: ille matris consilio festinavit afferre arietem, e grege optimum, et a matre soctum, sicut noverat ipsum libenter vesci, obtu-

lit parenti, atque ita benedictionem ejus fratri suo praeripuit. Multo magis non ambire et quaerere deberemus benedictionem Deiparae, utpote nobiliorem et efficaciorum. Cui enim illa benedicit, is erit benedictus, etiam a Deo. Itaque certemus, auditores, consequi ejus benedictionem; siquidem in hod. epist. inquit Ecclesia in ejus persona ex Salom. Prov. VIII. *Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.* Sed qua ratione, dicetis, consequemur hanc benedictionem et alii praeripiemus? Coquamus aliquot epulas, quibus ipsa libenter vescitur, et procul dubio obtinebimus. Attendite.

I. Ferculum seu obsequium, offerre se et sua Deiparae, adeoque in dominam, et magistram et patronam eam eligere. Hoc enim absque dubio gratissimum erit illi munus. Fecit hoc S. Stephanus Hungariae rex, qui se et totum regnum suum per votum, et oblationem in perpetuum Virginis Mariae tutelam assiduis precibus contulit, adeoque Pannoniam suam appellari voluit familiam S. Mariae, Bonfinius, lib. I. dec. I. et II. de rebus Hung. et Sur. in vita S. Gerardi, 23. septembr. Fecit idem Walterus de Birbach, vir potens et praenobilis, qui ut refert Caesarius, l. VII. mirac. c. XXXIX. cum adhuc in saeculo militiae vacaret, in quadam paupere Ecclesia B. Virgini dedicata, praesente sacerdote funem collo suo injecit, et servum glebae se Deiparae super altare obtulit, et singulis annis censum de capite suo solvit. Cui postea Virgo crucem auream sub calice ostensam, per manus sacerdotis misit. Juverit ad hoc, quotidie mane et vesperi, cum surgimus et decumbimus, brevem orationculam, qua in dominam et patronam eligatur et invoceatur, ad Virginem dirigere.

Item sodalitati ejus nomen dare et certis se legibus ad ejus servitium mancipare.

II. Nihil contra ejus honorem facere aut ab aliis fieri pati. Thoa, lupi speciem in Norvegia ferunt homines ita observantem, ut si forte in eum inciderit, reveratur, ac veluti observantia eum prosequatur: praeterea ubi illum a feris obsessum advertit, mox accurrere et pro eo contra illas depugnare atque opitulari pro viribus, Aelian. libro I. cap. VII. Quod si hoc lupi faciunt homini, faciamus hoc nos homines Deiparae, et magnum absque dubio obsequium praestabimus. Si quando incidamus in ejus mentionem vel cogitationem, non modo caveamus eam offendere, verum etiam reverentia prosequamur, ac contra offensores et obtretractores defendamus. Ineamus cum ea pactum, quale cum Isaaco iniit Abimelech, Gen. XXVI. dicens: *Vidimus Dominum esse tecum, idcirco nos dicimus: Sit juramentum inter nos et ineamus fa-*

dus, ut non facias nobis quidquam mali, sicut et nos nihil tuorum attigimus (aut attingemus) nec fecimus (aut faciemus) quod te læderet.

III. Libenter et facile dare petentibus in nomine Mariæ nihilque denegare, quod absque magno damno saltem dari possit. Quemadmodum enim immensum Dei Patris amorem erga Filium suum arguit, quod petentibus in nomine Filii sui nihil negare velit: ita maximum etiam amorem et observantiam erga Deiparam continet, nihil negare petentibus in ejus nomine. Ita in gratiam amicorum nostrorum benefaciamus illorum servis, etc. De Sancto Gerardo martyre et episcopo Canadiense in Hungaria scribit Surius, die 24. septembris, si quis reus ab ipso veniam peteret per nomen Matris Christi, mox eo audito, lacrymis perfundebatur, et reum in gratiam humanissime recipiebat. De Alexandro Alense scribit Sanctus Antoninus, III. p. histor. tit. XXIV. c. VIII. § I. quod cum esset doctor Parisiis, statuerit nihil cuiquam negare petenti ob amorem beatæ Virginis, idque ex singulari erga eam devotione. Inauditi hoc quidam Franciscanus et petiit ab eo, ut Virginis amore Franciscanorum intraret ordinem. Territus ille primo tanta tamque inopinata petitione, assensit tamen haud difficulter. Atque deinde multa passus, a B. Francisco secundum quietem solatium accepit, ita ut in omni sanctitate vixerit, magister S. Bonaventuræ factus.

IV. Ejus gloriæ congratulari, et præteritis doloribus compati. Quantum enim abominabiles sunt hostes B. Virginis, quia gloriæ ejus invident et detrahunt: tantum illi placere necesse est eos, qui ei congratulantur, ejusque laudes prædicant, amplificant, et quasi suas reputant, hoc enim amicorum et filiorum est, illud inimicorum. Inde mulier illa, quæ accenso lumine invenit drachmam perditam, convocat amicas et vicinas dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam meam.* Hæc autem dici potest Deipara, quia accendit et genuit Christum, quo mediante nos inventi sumus. Unde simili modo in persona Deiparæ canit Ecclesia in festo Beatæ Virginis ad Nives: *Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo et de meis visceribus genui Deum et hominem.* Certe ob hanc erga Deiparam charitatem, ereptam e manibus dæmonum animam Caroli, filii beatæ Birgittæ, a beata Virgine, legitur in revelatione Sanctæ Birgittæ, l. VII. c. VII. XIII. « Dum, inquit, hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, resolvens hoc sæpius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, et quod super omnia creata me sublimiter voluit

exaltare, et ex hoc tanta charitate cepit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: In tantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam Matrem suam habet super omnia charissimam: quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii reciperem: imo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus præferrem, etsi possibile esset, quod in ipsa in uno puncto minimo a dignitate in qua est a Deo remotior fieri posset, eo magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari. Et idcirco sit ipsi Deo pro benedicta gratia illa et immensa gloria, quam dedit suæ Matri dignissimæ, infinita gratiarum actio et gloria sempiterna. Ergo, o diabole, vide modo cum quali voluntate iste obiit: quid itaque tibi videtur, utrum magis istum erat, quod anima ejus in meam veniret defensionem ante judicium Dei, an in tuas manus impie crucianda? Respondit diabolus: Non est mei juris, quod illa anima in meas manus veniret, quæ te diligit plusquam se, antequam judicium factum sit. » Hac ibi. Recte igitur Deiparæ applicat Ecclesia, quod Eccl. XXIV. dicitur: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eo vero pertinet prima illa pars angelicæ salutationis: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* His enim verbis Deiparæ applaudimus et Deum glorificamus, quod sanctissimam Virginem omni cælestium honorum munere cumulavit.

V. Virtutes ejus imitari, eamque velut speculum sibi proponere, prout monet S. Ambrosius, lib. II. de virginib. dicens: *Sit vobis tamquam in imagine descripta virginitas vitæque Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis:* et S. Bernar. hom. II. super *Missus est*, dicens: *Ut impetres ejus orationi suffragium, non deseras conversationis exemplum.* Legimus Estherem duas habuisse famulas, unam, cui inniteretur procedens, alteram, quæ vestes defluentes post eam attollens gestaret, Esther XV. « Hæ duæ famulæ, inquit S. Bonaventura, in speculo Virg. quarum domina est Regina Maria, sunt angelica et humana natura: humana est famula illa quæ sequitur dominam suam in mundo colligens vestimenta dominæ, hoc est, virtutes et exempla Mariæ: angelica vero est illa altera, super quam in cælo innititur, se sociando ac deliciando cum angelis, innititur insuper tamquam potentissima angelis imperando. » Unde patet magnum Virgini obsequium nos præstare, adeo famulari, cum virtutes ejus imitamur. Quot enim sumus æmuli et imitatores vitæ ejus, tot sumus laudem ejus præcones.

VI. Sponsum ejus Josephum diligenter colere; hic enim ejus honor redundat in Mariam ejus conjugem, quia (uxores coruscant radiis maritorum secundum juristas) cui procul dubio arctissimo amoris nexu copulatus fuit. Artemisia Carie gentis regina Mausolum maritum suum adeo amavit, ut eo defuncto præmia proposuerit oratoribus, qui quam ornatissime viri gesta decantarent, Mart. de amphitheat. Domit. Atqui longe majorem Virginis amorem fuisse erga Josephum, nihil dubitandum. Quis ergo inficiabitur, cæli reginam maximis donaturam præmiis eos, qui sponsum ejus coluerint, amarint, prædicarint?

VII. Assidue eam salutare, mane, vesperi, et cum audis horam et salutationem angelicam, item caput aperire, cum audis ejus nomen. In vita S. Gerardi præacta legimus Hungarorum gentem adeo fuisse observantem B. Virginis, ut nomen ejus ob venerationem non pronuntiarint, sed dominæ nomine eam appellarent, et si contingeret nomen ejus pronuntiarum, genua flectebant, et capita in terram demittebant. Videte, quid egerit gens pene barbara, et quidem paulo post initium suæ conversionis. Thomas Cantiprat. episcopus ordinis S. Dominici, vir fide dignissimus, l. III. c. XXIX. § IX. refert, veteranum quemdam militem ordini Cisterciensium se addixisse, sed cum deprehenderetur nescire orationem Dominicam, nec ullo labore posset addiscere, tandem laboratum est, ut saltem disceret salutationem angelicam, quam is inter prandendum ruminans, mira tandem suavitate afficiebatur. Mortuo illo, ex sepulcro ejus excrevit arbustum, pulcherrimum sed ignotis vestitum floribus, quibus inscriptum erat aureis litteris: *Ave Maria, gratia plena.* Viso miraculo denuntiatur id episcopo loci, qui cum fodi juberet ad fidem miraculo confirmandam, reperit hoc arbustum in ore prædicti militis radices posuisse. Nec mora, ubi frutex iste officium suum præstitit, repente in adsantium oculis aruit et defecit.

VIII. Diem sabbati ejus memoriæ dicatum, et festa ejusdem ac vigiliis eorum singulari quodam pietatis exercitio observare. Exempli gratia, in sabbatis aut pervigiliis confiteri, vespere adire, rosarium recitare, jejunare, etc. in festis vero communicare, templa visitare, eleemosynas præbere, etc. Hæc enim et similia opera Deiparæ grata et accepta esse, non solum innumera declarant miracula, sed et ipsa convincit ratio. Si enim hæc Deum placant et propitium nobis reddunt, cur non et Matrem ejus? Etenim quidquid impenditur Matri, non nisi propter Christum, Filium ejus, impenditur. Hæc igitur qui agunt, sane vigilant ad fores Deiparæ: *Beati igitur servi illi.*

Atque his epulis, auditores, libenter vescitur Maria, quas si illi obtulerimus, benedictionem ejus obtinebimus. O quantum nobis hæc solatium afferent in agone nostro? Si nihil aliud boni fecimus, hic tamen Virginis cultus soem maximam nobis pariet.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

- I. Mundi statum esse varium et inconstantem. —
- II. Mundum esse contemnendum. —
- III. Veram nobilitatem in virtute consistere. —
- IV. Gloriam in virtute, ignominiam in vitiis esse sitam. —
- V. Fidei nostræ veritatem consistere. —
- VI. Vitæ rapidissimum esse fluxum. —
- VII. Peccatoribus bene sperandum esse.

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.

Mirum videri potest, cur genealogiam Christi librum vocet evangelista. (Nam quod non totum evangelium, sed genealogiam solam eo nomine vocet, patet ex Gen. V. ubi etiam generationem Adæ per seriem recensens Moyses vocat eam librum.) Qualis vero est iste liber, qui sola nomina recenset, nihilque documenti, nihil instructionis affert. Ad quid enim juvat scire (dicent forte aliqui) quod Abraham genuit Isaac, Isaac Jacob, etc. Imo permultum juvat, et vere insignis est hic liber, ac nemo quidem judicio talis, et vel hunc solum legere sufficiat ad vitam bene recteque instituendam: liber, inquam, non tantum eruditorum, sed rudium quoque et illitteratorum. Quod ut ostendamus, dicendum est quid is contineat.

I. Discimus ex hoc libro, qualis sit mundi status, utpote varius, fluctuans et inconstans, qui modo homines evehit, modo deprimit. Excelsa fuit hæc Christi stirps in Abraham, Isaac et Jacob, utpote celesterrimis et ditissimis patriarchis: postmodum paulatim depressa est usque ad Davidem, qui fuit pastor ovium patris sui viri privati.

Deinde, rursus evecta in Davide ad regiam per multos successores. Post hæc rursus depressa in captivitate Babylonica, in qua serviit septuaginta annis in Jechonia incarcerata. Postmodum de novo e carcere ad thronum regium elevata. Ad extremum iterum depressa ad opificium et lignariam artem in Josepho. Quare bene Rupertus, hom. I. in cap. I. Matth. comparat genealogiam hanc scælæ Jacob, quam ostendit ei Deus, Gen.

XXVIII. pertingentem e caelo ad terram usque. In ea siquidem angeli modo ascendebant, modo descendebant: ita et in generatione Christi, ejus progenitores modo ascendebant ad patriarchatum, modo ad baculum descendebant pastorem: modo ad thronum regium ascendebant, modo descendebant ad carcerem et compedes Babylonicos: modo evehebantur ad sceptrum ducale, modo ad securim fabrilem deprimebatur. Unde lunæ perquam similis est, quæ modo crescit, modo decrescit, modo tota luminosa, modo prorsus obscura. Plenilunium fuit in Abraham, Isaac, Jacob, novilunium in Jesse et David. Crevit in David, decrevit in Jechonia ducto in captivitatem, etc. Quod si hanc mutabilitatem passa est ipsa Christi Domini generosissima propago: quid gloriantur nobiles mundi et potentes, quasi in sole possuissent tabernaculum suum? Numquid ipsi melioris sunt conditionis? Quod si magnatum et nobilium generationes constarent usque ad Noe, quot et quantæ variationes in iis reperirentur? O quot rustici, opifices abjectique homines eorum progenitores fuisse conspicerentur! Clarum certe fieret id quod Plato, apud Senecam, ep. XLIV. dixit, neminem regem non ex servis esse oriundum: neminem non servum ex regibus. Sed nimirum nobiles terræ instar Hebræorum nostrorum agunt, qui ut merces suas defectuosas vendant, inducunt emptorem in locum obscurum, ubi splendorem tantum mercium cernere queat, non defectus: ita fuit, annales et genealogias suas texunt, quousque reperiant progenitores celebres, et si forte tres vel quatuor nobiles avos repererint, mire insolescunt. At ubi ad obscurum aliquem vel plebeium devenerint, ibi subsistunt et tacent. Non ita annales Christi, qui tres quidem reges tacent in Matthæo, neminem vero plebeium. Producantur annales singulorum usque ad Noe vel Adam: certabit sæpe rusticus cum nobili de nobilitate et sæpe victor erit, et saltem aliquando in uno parente consistemus. Ut igitur luna plena non potest merito contemnere lunam novam: nec rotæ pars superior juxta dominos sedentes in carucca consistens gloriari contra partem inferiorem pressam et luto hærentem, quia ejusdem vicissitudinis sunt participes. Ita nec nobilis contra ignobilem. Hinc Plutarchus, Rom. quæst. q. LXXIX. scribit olim patricios et nobiles Romanos lunulas in calceis gestasse: ut sic admonerentur, eorum nobilitatem et fortunam mutationi subjectam esse. Utinam hoc etiamnum facerent nostri nobiles pro novis vestium peregrinarum inventionibus. Sic enim intuentes pedes luteos et instabiles, pennas superbiam cum pavone

dimitterent, nec plus se aliquid esse, quam proximum existimarent. Ad hæc ex incestu Judæ cum Thamar prognati sunt omnes viri et reges Judæ ipseque Christus Dominus. Hinc enim a Juda per Phares et Thamar descendit. Nam omnes legitimi filii Judæ, puta Her, Onan, et Sela sine liberis mortui sunt. Pari modo nullus est rex aut princeps, qui si suos majores a bis mille annis repetat, inter eos non inventurus sit multos spurios, multos rusticos aut cerdones, aut his viliores, quinimo permulti ex vilissima prosapia mox ad regnum evecti sunt. Ita Saul ab asinis, David ab ovibus ad regnum evasit, Jephthe ex latrone factus est princeps; Arsaces ex latrone factus est rex Parthorum; Gyges ex pastore factus est rex Lydorum; Darius Hystaspis Cyri pharetophorus fuit; Valentinianus I. imp. patrem habuit funes torquentem; Tamerlanes ex bubulco factus est, rex Tartarorum; Agathocles Syracusanorum tyrannus patrem habuit figulum; Tullus Hostilius ex pastore factus est rex Romanus. Aurelianus et Docletianus humili generi nati sunt; Maximinus fuit opilio; Maximus Puppienus patrem habuit fabrum ferrarium; Justinus imp. primo fuit subulcus, secundo bubulcus, tertio faber lignarius, quarto miles, inde imperator; Mahometes auctor Mahometismi et Alcorani, camelarius fuit; Othomanus I. Turcarum princeps agrariis parentibus ortus est, cujus posteri etiamnum Turcarum sunt imperatores; Sultanos Egyptios ex gentis et regni instituto prius oportebat servos esse, quam ad eum honorem conscenderent; denique, omnis nobilitas ignobile habuit principium, et qui avorum nobilitate gloriantur, non in sua, sed in aliena virtute gloriantur.

II. Discimus mundi contemptum et eorum, quæ in ipso sunt. Cum enim Christus habet progenitores patriarchas ditissimos, reges magnificentissimos, duces strenuissimos, et quidem plerosque tales; quare nullum ex his in parentem sibi elegit, sed potius omnium infimum et abjectissimum Josephum, utpote fabrum? Potuit certe ipse tamquam Dei Filius (non possumus nos) eligere sibi in patrem regem, in matrem reginam ducissam, vel saltem aliquam nobilem: non fecit, sed cum primi ejus progenitores pene omnes divites et magnates essent; illos omnes præterit, et expectavit quodammodo donec stirps ejus deprimeretur, ut sic in humilibus et plebeis parentibus requiesceret. Ecce quam vero de ipso dixit sponsa, Cant. II. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles!* transiliit reges, patriarchas, duces, ubi ergo tandem requievit? *Ego flos campi*, inquit eod. cap. *et lilium convallium*,

lilium, id est, decus parentum humilium, uti ait Rupert. Matth. I. Noluit nasci hic flos in hortis regum, noluit in montibus, sed in convallibus Josephi et Mariæ. O quam hic damnat fastum et ambitionem nostram! Si enim hominibus liberum esset eligere parentem, quis nostrum non eligeret magna contentione, reges, imperatores, locupletes? Annon fere omnes tota vita contendunt, ut divitias, honores, favores aucupentur et ditiones? Numquid sapientiores Dei Filio, qui hæc omnia fugit? Quæso enim te, ubi melius habitares: in montibus an in vallibus? Respondebis illico: In montibus jucundius; in vallibus utilius. Ita est; vivunt quidem hic mundani divites, nobiles et potentes, velut in montibus jucunde: sed o quam difficile ascenduntur et quam steriles sunt hi montes, e quanto labore vidualia illuc perferuntur! Securi habitant ab hostibus, sed interim magis obnoxii sunt fulminibus et fortunæ ventis. Ibi ceciderunt forte Israel quam plurimi. Contra valles etsi hominum insidiis patent a fulminibus, ventis fortunæ et ira Dei securæ sunt: deinde, tristiores quidem montibus sunt, longe tamen fertiliores, et sine labore perambulantur. Quare ut nos Christus a montibus abstraheret, utpote periculosus et inutilibus ad valles humilitatis et mediocritatis, in valle parentum humilium requiescere voluit. Christum imitata est S. Elisabetha quæ revocata ad imperium renuit, malens privatam degere vitam, vallem humilitatis eligens præ montibus honorum.

III. Discimus, quæ sit vera nobilitas. Virtus nimirum, non prosapia. Ad quid enim putatis, recenset evangelista Deiparæ genealogiam? Num ut eam a majorum suorum nobilitate commendet? Minime gentium. Stirpem enim Abraham et Davidis commendare vult ex Deipara ejusque Filio, sic enim et propheta stirpem illam commendant ex Maria; non contra. Audi Isaiam, cap. XI. *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet.* Virginem Mariam, florem Christum interpretantur Ambros. lib. de exhortat. ad virgin. Hieron. ep. XXII. ad Eustach. Cum enim plures sint virgæ e radice Jesse pullulantes, cur Mariam tantum commemorat, nisi quia hæc gloria est illorum, de qua omnes gloriantur? Maria igitur est, quæ totam hanc progeniem velut annulum aureum gemma pretiosa magis illustret, quam illustretur ab illa. Quæro, unde hoc? Num quia nobilior, locupletior, potentior, etc. nihil horum, plebeia erat, paupercola erat, opere manuum suarum cum marito victitabat. Cur igitur? Respondit ipsa: *Quia respexit (Deus) humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatum*

me dicent omnes generationes, Luc. I. Virtus igitur est ac præcipue humilitas, quæ eam nobilitavit et stirpem ejus licet nobilissimam, longe nobiliorem fecit. O quantum igitur aberrant, qui suas genealogias inutiliter scrutantur et jactant, virtutis interim pensum nullum habent! Ubi est memoria illorum, qui præcise fuerunt nobiles et virtuti non studuerunt? *Periit memoria eorum cum sonitu*, ait Psalm. IX. David, q. d. sicut fracto forte in mensa vitro, omnes conclamant et gemunt, sed mox ubi frustra colliguntur et in cloacam mittuntur, nulla fit eorum memoria amplius: ita nobiles terræ quando moriantur, magno cum sonitu moriuntur; it longe lateque rumor, dolent multi eorum sectatores: ast ubi sepulti sunt, sepulta est quoque eorum memoria. Vivit vere illorum memoria, qui virtuti studuerunt. Unde a tot sæculis tam celebris in orbe fama et gloria S. Alexii? Nisi quia licet nobilissimorum et ditissimorum esset parentum filius, in paterna tamen domo ignotus et obscurus sub scalis miserrime et humillime vixit usque ad mortem. Unde gloria et celebritas S. Ludovici regis Galliæ? Num quia rex Galliæ erat? Atqui fuere plurimi alii, quorum nulla est memoria. Unde igitur, nisi quia tantus rex licet, infirmorum tamen hospitalia crebro visere, manus et pedes eorum lavare, abstergere et osculari solebat, fercula demum flexis genibus porrigere et servire? Unde gloria et memoria S. Eduardi? Num quia Angliæ rex tantum? Minime, sed quia simul humillimus, non detrectavit pauperem claudum per compita civitatis publice gestare numero suo impositum ad ædem D. Petri? Unde ad nos fama et gloria S. Elisabethæ reginæ, nisi quia mendicorum quantumvis squalidorum et sauciorum vulnera abstergere, alligare saniem, abradere, lavare, capita scabiosa pectere, lixivis purgare, et quandoque velo sui obligare capitis, ægros gestare ad alvum exonerandam solebat? nisi quia voluit ancillarum munia obire, et domina ab ancillis vocari noluit? Hoc igitur, hoc est nobilitatis ornamentum perpetuum. Non sic coronæ, non ita armillæ et catenæ, non ita gemmæ et annuli ornant personas nobiles, uti virtus et humilitas. Ut enim luna quo remotior est a sole tanto magis splendet: ita et nobilitas quo magis se deprimit et a Deo elongat, tanto magis splendet, cujus typus est luna, ut supra ex Plutarcho vidimus.

IV. Discimus in quo consistat vera gloria, nimirum in propria virtute: et vera ignominia, nimirum in propriis vitiis, non alienis. Recensentur enim in hac genealogia multi impii et

malæ famæ: Thamar incestuosa, Bethsabæe adultera, Rhabab meretrix, Salomon, Roboam, Joram, Achab, etc. idololatæ. Qui omnes sicut nullam aspersere maculam Christo, ejus Matri ac progenitoribus justis, ita nullam mutavere ex illis gloriam. Numquid enim S. Achab? Numquid S. Joram, Roboam, etc. quia Christus eorum stirpe prognatus est, vel quia multos habuere progenitores sanctos? Minime gentium. Gloriabantur quidem Judæi de majorum suorum sanctitate dicentes: *Semen Abraham sumus: et pater noster Abraham est*, sed audiunt a Domino: *Si filii Abraham estis, opera Abraham facite*, Joan. VIII. Abutebantur illi stirpe sua, virtutem Abraham et et majorum suorum defensionem et tegumentum rati suorum vitiorum, unde et liberius peccabant et impunius. Ita et modo quam plurimi nobiles majorum suorum virtutibus veluti alienis plumis adornare se conantur et nobilitatem suam faciunt pallium vitiorum suorum quasi ipsi liberius et securius delinquere audeant. Sed si filii eorum sunt, qui virtutibus claruerunt, virtutes suas exerant et opera majorum faciant; alioqui majori ignominia et pœna digni sunt. Si satis erat Achab, quia ex hac stirpe erat; cur delevit Dominus ejus posteritatem? Si satis erat Jechoniæ regi, quia ex hoc stemmate erat; quare permisit eum Dominus abduci in captivitatem et servire Nabuchodonosori? Annon et ipse ex Christi progenitoribus erat? Nihilominus abductus est, sicut illi prædixerat et juraverat Deus, Jer. XXII. *Vivo ego dicit Dominus, si fuerit Jechonias filius Joacim regis Juda, annulus in manu dextera mea inde evellam eum, et dabo te in manu quærentium animam tuam et in manu Nabuchodonosoris, etc.* Nullus itaque quantumvis Deo familiaris et conjunctus sibi videatur, ratione status, officii, vitæ, etc. sibi de hoc applaudat, quia nisi vocationi suæ operibus ipsis respondeat, velut annulus evelletur et in captivitatem infernalem abducetur. Contra etiam propriæ virtuti non obesse aliena vitia etiam conjunctissimorum. Eodem argumento patet; Josaphat rex optimus erat, filius ejus Joram pessimus: contra Achaz pessimus erat, filius ejus Ezechias optimus. Mali denique omnes hic enumerati nullam attulere maculam Christo aut cæteris piis. Non est igitur excindenda aut comburenda arbor, quod aliqui ejus rami exaruerint: nec contemnenda familia, in qua reperiuntur aliqui infames.

V. Discimus fidei nostræ veritatem. Cur enim putatis describi voluit Christus suam genealogiam, nisi quia ostendi voluit veram fuisse promissionem factam Abraham et Davidi, quod ex semine eorum nasciturus sit Christus? Propterea

enim cum Matthæus vocasset Christum filium Abraham et Davidis, mox incipit id ostendere per ordinem genealogiæ. Et quomodo hoc probat evangelista? Genealogiam texit et longam, nunquam interruptam, seriem patrum ab Abraham recensendo usque ad Christum, dicendo: Abraham genuit Isaac, etc. et denique colligit omnes ejus generationes per numerum, q. d. quia certissimo constat tota series progenitorum Christi, et ordinata successio certo numero et noto constans, idcirco verissima fuit promissio Abraham facta, etc. Jam si vera et bona est hæc argumentatio, (sicuti verissima est et optima) in Christi patribus, cur non sit vera similis collectio in Christi filiis spiritualibus? Nam carnalem ejus progeniem cessasse nemo nescit.) Audi Psalm. XLIV. Davidem de Christo et Ecclesia prophetantem: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram*. Quæritur jam, ubi sint hi filii, ubi sit Christi spirituale semen et Ecclesia. Petro factam promissionem, quod nunquam defectura sit fides ejus, scimus ex evangelio, quemadmodum Abraham et Davidi facta est de Christo ex eis nascituro. Ubi est illa Petri fides? Ubi est Christus modo et Ecclesia ejus: multi dicunt his temporibus quod prædixit Dominus, Matth. XXIV. *Ecce hic est Christus et illic*. Dicunt Calvinistæ, dicunt Lutherani: Apud nos est Christus, Ecclesia et fides. Probate hoc quod dicitis, texite genealogiam, numerate successionem vestram a Petro? *Vestrx cathedræ*, inquit Optatus Milevitanus, l. II. advers. Parm. *vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*. Ante centum annos, ubi fuerunt vestri patres? Omnes ibi statis: nisi ad nostros divertere velitis, e quibus recessistis. Dico amplius quid: non potest hanc genealogiam texere sedes Constantinopolitana, in qua hæreticos sedisse episcopos Macedonium, Nestorium, Anthimum, Acacium, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Anastasium aliosque plurimos testantur ipsi Græci. Non potest Antiochena, in qua Paulus Samosatenus Eulalius, Euzoius, Joannes, Dominus, Petrus Gnaphæus, hæretici sederunt. Non potest Alexandrina, in qua Georgius Cappadox, Sergius, Lucius, Dioscoros, Timotheus, Elvius, Moggus hæretici præfuerunt. Non potest Jerosolymitana, ubi Joannes Origenista, Salustius, Arsenius, Heraclius, Hilarius, hæretici sederunt. Et quomodo vos o novelli homunciones genealogiam Ecclesiæ faciatis, si antiquissimæ illæ sedes hoc non possunt? Una est igitur, una est Ecclesia Romana, quæ id potest sine interruptione, sine defectu. Ibi possumus dicere: Christus genuit Petrum, Petrus genuit Linum,

Linus genuit Cletum, Cletus genuit Clementem, Clemens genuit Anacletum, Anacletus genuit Evaristum, et sic deinceps usque ad nostrum Clementem XI. Scimus inquam, omnes ordine et rite electos eadem docuisse: tot mensibus et annis sedisse: tot dies sedem vacasse usque ad novam electionem: tot episcopos ab eis ordinatos, scimus tot esse numero: concludendum igitur in hac esse Christum et ejus Ecclesiam. Hoc argumentum convicit sanctissimos et doctissimos patres et retinuit in Ecclesia, si quid aliud. S. August. contra epist. Manichæi, c. IV. ait: *Tenet me in Ecclesiæ gemio ab ipsa sede apostoli Petri usque ad præsentem episcopatum sacerdotum successio*. Similiter ex hac successione ostendunt fidei nostræ veritatem Optatus, l. II. advers. Parm. Epiphanius contra Carpocratiam.

VI. Discimus vitæ nostræ fluxum rapidissimum, necessariam et omnimodam extinctionem. Fluxum rapidissimum, quia si quæramus ex quibusdam hujus genealogiæ personis, quanta fuerit eorum vita, exiguam fuisse dicent. Dic nobis o Jacob, quot sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit illico, quod respondit Pharaoni similiter interroganti, Gen. XLVII. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali et non pervenerunt ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt*. Dic nobis et tu o David, respondebit id quod I. Par. ult. dixit: *Peregrini enim sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri: dies nostri quasi umbra super terram et nulla est mora*.

Indicarunt hanc vitæ fluxibilitatem Matthæus et Lucas in Christi genealogia: Matthæus enim utitur verbo *genuit: Abraham genuit Isaac, etc.* quasi in mundum introducendo homines: Lucas vero utitur verbo *fuit: Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, etc.* cap. II. quasi e mundo iterum eos expellendo. Ecce quos Matthæus introducit in mundum, Lucas mox expellit: quia quam primum vivere incipimus, incipimus et mori, de die in diem currendo ad mortem. Ut enim hedera Jonæ subito crevit, et subito emarcuit, verme abrosa: ita et vita nostra, Jon. ult. Unde omnibus nobis dici potest id II. Reg. XV. *Hæc venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi*.

Quod si tam momentaneam esse vitam testantur voce et re ipsa patres illi: quid ita laboramus circa vitæ commoditates comparandas? *En major*, aiebat Esau, Genes. XXV. *quid mihi proderunt primogenita?* deditque ea pro pulmento. Utinam hoc dicerent ii, qui ædificant et opes cumulant, quasi æternum essent victuri. En morior, quid mihi hæc proderunt? Necessariam vitæ nostræ extinctionem hinc quoque discimus: siquidem ex tot tantisque viris ne unus quidem fuit, qui mortem evitare potuerit. Non juvit Abrahamum Dei amicitia et familiaritas, Davidem sua bellicositas, Salomonem sua sapientia, Josaphatum sua sanctitas, Ezechiam suæ divitiæ. Omnes hæc aviculæ in virga mortis inviscatæ sunt, omnes hi pisciculi in aassa ejus conclusi sunt, et tu evadere speras? Omnimodam vero eorum contractionem, si virtutes demas et bona opera, quis non videt? Quid enim nunc superest de tot patriarchis, regibus? Nihil plane aliud, nisi quod Lucas meminit: *Fuit, fuit, fuit: ubi vestra opulentia? Fuit: Ubi pompa? Fuit. Ubi sapientia? Fuit. Ubi regnum? Fuit. Unde omnes illi tales videntur fuisse, quales sunt ii reges ludicri, qui circa festum, III. Regum solent eligi in aulis principum, ubi sæpe accidit ut coquus eligatur in regem, serviunt ei tunc omnes aulici, imo et ipse princeps sed quamdiu? Forsitan ad triduum, postmodum auferitur ei omnis potestas et manet is qui fuit prius. Quid habet ex eo, quod rex aliquando fuit? Nihil. Si cursor quispiam velocissime transiret hanc civitatem et clamaret juxta portam: *Hæc civitas est mea, hæc civitas est mea*: mox vero currens præteriret et nusquam amplius compareret, quis non ridiculum et inane diceret hujus dominium? Atqui ita pertransierunt regna et ducatus suos omnes illi reges et duces (unde Job, cap. IV. ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore*) unus post alterum, et eandem regiam singuli suam dixerunt. Interim velocissime transierunt, nec uspiam modo comparent. Annon vanum igitur erat eorum imperium?*

VII. Discimus maximam peccatoribus spem concipiendam omnibus, siquidem ille ex non paucis peccatoribus parentibus prognatus est, qui peccatores redimere venit, etc.